Mr. Jenkins
against Grove

REFUTATIO

CUJUSDAM

Scripti hoc insigniti Lemmate,

ROBERTI GROVII

RESPONSIO

AD

Nuperum Libellum qui inscribitur

CELEUSMA, seu CLAMOR.

Per Authorem CELEUSMATIS Edita.

TIT. 1. 13.

Ἔλεγχε αὐτὸς ἀποτόμως ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει.

Prostat apud *Ben. Alsop*, ad Insigne *Angeli Bibliophori* in Vico vocato *The Poultry*, 1681.

Refutatio Cujuſdam Scripti hoc inſigniti Lemmate, Roberti Grovii *Reſponſio, &c.*

SECT. I.

HAud equidem inficior, mi *Grovi*, me in *Celeuſmate* culpam Dominis tuis impegiſſe, quòd *Reſponſioni* quam ad * Libellum tuum *Fenchinus* non ita pridem parabat, præter fas & æquum, obſtiterint, gravem in illos ſtatuendo pœnam, qui ulla ejus meditamenta in publicum emitterent. Iſtam vero quantamcunque injuriam *Fenchino* à Reverendiſſimis illatam, abunde penſatam Cenſeo, per eam licentiam tibi ab illis indultam, hanc ad *Celeuſma Reſponſionem*, quam vocas, in lucem emittendi: Quid enim vel ad evertendam tuam, vel ad cauſam conſtabiliendam noſtram, aptius excogitari potuit, quam Scriptum hoc nuperum incongruè & ineptiſſimè, *Reſponſionis* Titulo à te inſignitum? Subit mirari, quid tibi in mentem venerit tanta cum fiducia, *Lemma* hoc futile & ἀπροσδιόνυσον, *Reſponſionem* ſcilicet, Libello tuo apponere? Opuſculum ſiquidem tuum, reſpondere ingenio tuo, tum Doctorum de te Opinioni, tum etiam expectationi noſtræ, facilis agnoſco; attamen magis eſſe *Reſponſionem* ad *Celeuſma*, quam ad ipſum *Turcicum Alcoranum*, nego pernegoque.

*Cel. p. 5. *Vind. Cler. Conf.*

Quid? quod vir integerrimus, nullique parti nisi quæstat à veritate addictus, non ita pridem me certiorem fecit, Symmistis tuis Conformibus, prorsus displicere libellum tuum, eo potissimùm nomine, quòd armis adeo plumbeis & obtusis, vestram propugnaverit nostramque oppugnaverit causam.

SECT. II.

a pag. 3. ad pag. 17. QUid verò in causa fuit (mi *Grœvi*) quòd in Authore *Celeusmatis* investigando, operam tuam tam futiliter collocaveris? Annon hac indagatione indoles, tua puerilis quæ ineptiis ejusmodi tantopere demulcetur, omnium obversatur oculis? Negotium tuum cum ipso fuit *Celeusmate*, cui nunquam respondisti, nec responsurus es; quid tibi verò, cum *Celeusmatis* Authore? Quem p. penult. licèt neque *Dansonum* fuisse, nec Beatum *Molinæum* improbè a te lacessitum, probè & apertè profiteor, (quod quidem quoad seipsum testatus est ipse *Molinæus in Libro suo qui inscribitur*, an **Appeal**, &c. *à seipso aliquanto ante mortem suam limato, & nuperrime Edito,*) tuâ tamen nihil interest, Ardelio, Authoris notitiam assequi. Tu tua Cures, & missis hisce næniis, operam tuam studiosiùs Concionandi officio impendas velim, ut tandem auditorum tuorum numerus Columnarum Templi tui (si fieri potest) exuperet numerum.

SECT. III.

SECT. III.

ÆGrè admodum te tuliſſe video, quòd pro *mendaciis* tuis craſſiſſimis, te *Celeuſma* noſtrum (haud ſatis licet pro meritis) caſtigaverit. Et exinde nullum non moves lapidem, ut ab iſto mentiendi crimine, te prorſus immunem præſtes. Verum enimvero, dum unum a te mendacium amoliri, teque ab uno liberare ſatagis, idem tibi ferè accidit, quod de circuitore tinnienti, ſive ſartore ærario narratur, qui poſtquam unum in vaſe foramen promiſit reſarcire, non aliâ arte unum illud obturare poteſt, quam vas duobus aliis in locis perforando. Etenim cùm de hoc uno mendacio, te ſubmonuerim, nempe *quòd Fenchinus ut ipſe impunè evaderet, æquo animo permiſerat ut ultimo ſupplicio Lovius plecteretur*; Cumque ex hac monitione amantiſſimè tibi indulta, a me expectaretur, ut vel Conſcientiam, vel famam ſaltem tuam in tuto collocares, per criminis tui agnitionem humilem, & ſeriam pœnitentiam; vah! mendacia tua bis, terve quaterve repetita, haud veritus es effundere. Namque *Primò* tu teipſum mendacii arguis. Etenim conſcientia tua (ſi quid tibi ſaltem conſcientiæ ſupereſt) hanc tibi extorſit palinodiam, *te*, ſcilicet, plane *neſcire an molitus fuerit Fenchinus, ut impune Lovius evaderet*. *Secundum* quod crepas mendacium hoc eſt. Negas *Lovium monitum fuiſſe a Fenchino, de ſententia ipſius circa obedientiam ſupremis poteſtatibus præſtandam*. Unde *Tertium* adjicis, *hinc*, inquis, *factum eſt, ut Lovius Paricidis ad mortem obſtiterit*. Sed quis tibi (mi *Grovi*), duplex hoc mendacium in aures tuas inſuſurravit, vel quòd *Fenchinus* in pectoris ſcrinio, ſententiam propriam de hac re celaverit, & *Lovium* de ea,

Vind. Clerr. Conſ. p. 37.

Gro. Reſp. p. 21.

Gro. Reſp. 22.

ea, (quantum in *Fenchino* fuit) non monuerit, vel quòd ex hac ſententiæ ſuæ occultatione, *Lovius* ad mortem uſque Paricidis obſtiterit? *Quartum* ad Epimetrum addis. *Fenchini* (inquis) *aut oculis, aut animo ſemper oberrare Lovii imaginem, illumque hujus manibus inquietari.* Hanc vero aſſertionem ut magis confirmatam dares,

Ibid.

Addere cur nolles, experto crede Roberto.

Etenim quid ſit mortuorum inquietari manibus, *Fenchinum* ex communi tantum fama, te verò propria tua experientiâ, compertum habere meritò exiſtimamus. Eoque magis id ſuſpicamur, quoniam te haud latere arbitror quid * infortunii, quodam *Novembris* quinto, adoleſcenti *Edmonds*, condiſcipulo tuo in Schola *Wintonienſi*, ſcalpellum tuum attulerit; cætera, improbe, nôſti probè. Nam audacter licèt, deblaterare non vereris, *te nolle ut tui gratiâ quicquam reticeam*, tamen non eſt animus ulcus penè obductum refricare, ne te malè urat, neve inde ſanies exeat. Nec hanc hiſtoriam flebilem ulterius proſequar, niſi deinceps a te laceſſitus, & ad Labem tuam detegendam irritatus. Interea temporis deum καρδιογνώστην teſtem adhibet *Fenchinus*, ſe incolumitatem chariſſimo ſuo *Lovio*, ſemper exoptaſſe, ipſius ſaluti animitùs conſuluiſſe, ejuſque ſupplicium tanquam facinus execrandum abominari, & ſæpenumero ſecum ſtatuiſſe, ultionem divinam inſecutam eſſe illorum ferè ſingulos, qui viri pientiſſimi homicidio auxiliares manus porrigebant.

* *Hujus facinoris teſtimonium perhibent viri duo docti & fideles. Gro. Reſp. p.* 18.

SECT. IV.

SECT IV.

IN trito tuo tramite, mendaciorum ſcilicet, adhuc pergis. Dicis, Cùm *Fenchinus in Clerum conformem detonaret, nullum ſe diſtrimen feciſſe, neminem excepiſſe, univerſos intellexiſſe*, quaſi *Fenchinus* uno eodemque Hæreſeos crimine, involveret cùm Novatores hodiernos, tùm viros longè Orthodoxos, retinentes puritatis priſtinæ in doctrina Eccleſiæ *Anglicanæ*. Sed hoc, *mi Grovi*, falſiſſimum eſſe, ex ipſa liquet *Fenchini* Concione, in exequiis viri C L. D. *Seamani* habita, in qua multos Conformes Orthodoxiæ nomine, ſummis nec injuria, laudibus effert. Imo è grege Conformium quamplurimi, hunc in *Fenchino* candorem, animo grato agnovêre; Quid? quod *Fenchinus* Heterodoxis imputat, quòd per ſummum ſcelus odium ſuum pluſquam *Vatinianum* teſtati ſunt in viros Conformes, cæterà in fide ſanos. Teſtes ſunt *Tullius* & *Standiſhus*, in quos rabiem ſuam eructarunt, bilemque tanta evomuerunt copiâ, ut ſpes ſit ſe erga Fanaticos (quos vocant) animo ſedatiori poſthac exhibituros. Ut verò hanc accuſationem apertiùs adhuc falſam eſſe evincam; inſpice ſi placet *Celeuſm. pag.* 35. 36. ubi hæc habentur verba ad Conformes Orthodoxos, de Conformibus Heterodoxis. *Unum ſupereſt de quo vos monitos velim, nempe quòd plurimi cenſeant veram cauſam cur Novatores exhibeant* Jenchinum, *ut vos ſiſtentem perinde reos hæreſeos ac illos, illam eſſe, ut vos & illos juxta concordes faciant in eadem fidei doctrina, eo ſolum nomine quòd in ritibus conveniatis; miſerum ſane effugium! apologo conſimile de ſimo equino, qui innatans in turba pomorum clamabat*, nos poma natamus, *quaſi cum rapiuntur illi vobiſcum eodem torrente rituum, annumerandi quoque eſſent veſtro Orthodoxorum gregi, cum tamen*

Gro. Reſp. 19.

Celeuſ. p. 55. 36.

men non ſint vobis in fide ſcilicet ſanis, magis ſimiles quam corpus cachecticum, & circumquaque ulceribus obſitum, ſimile eſt ſano, athleticè & pancraticè valenti.

Resp. Gro. p. 8. 9. Conqueritur quidem *Grovius* quòd Eccleſiæ *Anglicanæ* Miniſtris, ſemper fuerit *Fenchinus* infenſiſſimus, quodque illos ſedibus & re familiari privatos, dicteriis fodicaverit. Ut hanc vero accuſationem probatam daret, quoſdam recolit haud verò recitat verſiculos, à *Fenchino* olim exaratos, in quibus, quia Centuriatæ ſacerdotum turbæ redarguuntur flagitia, Eccleſiæ Miniſtros dedecorari *Grovius* non veretur aſſerere. Haud inficior, annos *triginta & ſex* exactos eſſe ex quo, vir doctiſſimus *Sam. Torſhellus*, Libro ſuo multifaria eruditione referto qui inſcribitur *Hypocrita detectus, &c.* verſiculos nonnullos à *Fenchino* compoſitos, ſponte ſua appoſuit. Per hoſce vero verſiculos *Fenchinus* nec Eccleſiæ Miniſtros, quos flagranti affectu complectitur, imo nec reverà *homines*, ſed impurum potiùs quendam exagitavit gregem de *hara porcorum*, ad quos *Grovius* ex hoc grunnitu ſuo, ſe aggregaſſe videatur. Ut verò inter omnes conſtare poſſit, qualia humani generis *propudia*, Eccleſiæ *Miniſtris*, *Grovius* annumerare ſolet, ſingulos illos, qualeſcunque fuerint, *Fenchini* verſiculos, prout habentur in Libro *Torſhellano*, hic recitare non gravabor.

In Mundum Ὑποκριτικὸν
E T
Librum Διακριτικὸν.

Fulgida fax retegit fæces; Liber iſte feneſtrat
Pectora; ſpurcitiem jubar arguit; intima mundi
Iſta Dei lampas, ſcrutatur viſcera fœdi.
Turba ſacerdotum, vah! centuriata, pudete;

Quid

Quid juvat altari ſummo repetita dediſſe
Oſcula laſcivis Labiis? quid muſica vocis
Decantata Deo ſuavi modulamine, vitæ
Dum fuerint cantus, Satanæque tripudia veſtræ?
Flectere quid prodeſt curvato poplite ad aras,
Tingere vel veſtes ſacrati pulvere Templi,
Dum vomitus cœno, bibuli volutare ſoletis?
Nec dici hæc pudeat, ſed non potuiſſe refelli.
Pandite, falices radii, myſteria ſecli,
Lumine latrones tremulos deprendite veſtro.
Narranti, larvata ætas, Compeſce furores,
Namque premi debet non vir ſed pagina docta.

Guil. Jenkyn *Ecc. Chr. apud.* Lond. *Paſtor.*

SECT. V.

QUod verò ſpectat ad futilem illam & ineptam velitationem cum *Fenchino* toties ad nauſeam uſque a te repetitam, nempe qua ſuggeris nonnulla dari parallela inter *Fenchini* Commentarium in *Judam*, et aliorum ſcripta, unde *Fenchino* Plagiarii nomen tibi viſum eſt affigere, palàm profectò facis toti mundo, pædagogici pulveris ineptias, vel ſaltem ignaviam *Academicam* (ex qua te ſatis notum antehac dediſti) te necdum penitus exuiſſe. Magnum tuum *Hammondum* qui in Annotationibus ſuis in Novum Teſtamentum, tantum E *Grotio*, nomine ipſius ſemper ſuppreſſo excerpſit, quantum aſſurgere poteſt in grande volumen, haud tamen fuiſſe Plagiarium ſtatuis, *Fenchinum* verò qui in Commentario ſuo de mille quadringentis paginis, ad quem numerum aſſurgit Liber, viginti forſan paginas teſtimoniis autho-

rum replet, quos ſemper nominare pro re nullius momenti meritò judicabat, Plagiarji nomen meruiſſe dictitas. Hanc vero ſententiam ferre de utriſque tibi placuit, quoniam *Hammondus Grotium* Scriptorem *Latinum Anglicè* Loquentem, *Fenchinus* verò *Anglos Anglicè* Loquentes ediderit. Hoc verò iniquiſſimum tuum judicium utrum te magis partium ſtudio abductum, an rectæ rationis inopem, evicerit, æquo lectori judicandum permitto. Equidem *Hammondum* tuum nunquam *Plagiarii* nomine inſignitum dedi, ſed hoc tantùm volui, longè aptius *Hammondo* quàm *Fenchino* Plagiarii nomen congruere. Ut rem hancce ridiculam, & indignam prorſus, quæ animos oculoſve eruditorum occupet, expediam paucis; ſi pauliſper, mi *Grovi*, aliquid moræ *Fenchino* indulſeris, cui ab uno vel altero Authore, nonnulla exſcripta objicis, centum fortaſſis tibi totique Mundo Authores nominabit, quorum dicta egregia, nominibus licèt quandoque ſuppreſſis, Commentario ſuo inſeruit. Interea temporis, ſit *Fenchinus*, quoniam ita Reverentiæ tuæ viſum eſt, *Plagiarius* (quo tamen ſtigmate, & *Voetius Grotium*, *Grotiuſque* Celeberrimum *Rivetum* olim notavit); illum tamen ab hac imputatione, prorſus quoque liberare nequeo, qui, cùm Concionaretur in Feſto *Sancti Michaelis* apud Templum *Paulinum*, frequenti auditorum Coronâ, & tunc temporis præſente Patruo ſuo *Groviique* Patrono *Humphredo* Epiſcopo *Londinenſi* (à quo nullus dubito quin ſummas pro Labore ſuo egregio, Laudes Concionator reportaverit,) totam ſuam Concionem verbatim penè integram deſumpſit è. Commentario *Fenchini* in Verſum *Judæ* nonum de *Diſceptatione Michaelis cum Diabolo*. Ut omittam quòd apud *Tabernaculum* ſuum in jejunio pro *Londini* Conflagratione, Concionem ſuam deprompſit è prædicti Authoris Commentario in *Judæ* Verſum ſeptimum, de incendio quo *Sodoma* deleta fuit. Neque duos alios de tuis æqua-

Reſp. Gro. p. 8.

libus

libus, à Plagiariorum labe penitùs immunes ſiſto, qui, ut ſatis mihi compertum eſt, totum *Fenchini* Commentarium in *Judam* per ſingulas dominicas à Capite ad Calcem, in Concionibus ſuis Populo recitarunt; nonnullis (ni fallor) qui intererant, de Libro *Fenchini* quem præ manibus habebant, Plagium κατὰ πόδας non ſine riſu inſequentibus.

SECT. VI.

AUthor cujuſdam Libelli qui aditum primæ *Celeuſmatis* parti potiſſimùm aperuit, cui titulus eſt, *Separatio à ſe damnata*, Non-Conformes Schiſmatis poſtulat, quoniam eos à peccato immunes eſſe ſtatuit, ſi imperatæ à Dominis noſtris Conformitati, nos obedientes præſtamus. Hoc vero exinde probari putat quia Conformitas Ceremoniis præſtita *in dubio* eſt an ſit illicita. Jam verò (inquit) *Obedientia noſtra Dominis exhibenda nos cogit omnem dubitationem procul à nobis amandare, & dominorum mandatis in re dubia obtemperare.* Cui aſſertioni Heterodoxæ, ſic in *Celeuſmate* reſpondebam, *Status ille quæſtionis de Non-Conformium officio obtemperandi Magiſtratui in dubiis, oberrationem prodit inſignem, ſed futiliter obſtinatam à re de qua lis eſt, namque nos qui Non-Conformes ſumus, non hæremus judicio ſuſpenſo & pendulo, ſed judicamus credimuſque ritus illos quibus noſmet ſubjicere refugimus, haud abſque gravi peccato à nobis poſſe recipi. De dubiis itaque non eſt inſtituenda quæſtio, ſed æquum eſt ut probetur, Non-Conformes à peccato fuiſſe immunes, ſi contra Conſcientiæ dictamen audientes fuiſſent Magiſtratui Conformitatem jubenti. Verùm is merè futilia profert, & extra Controverſiæ* Celeuſ. p. 10.

ſia oleas pueriliter evagatur, qui affirmat nos liberos eſſe à peccato, ſi in dubiis Magiſtratui obſequium præſtamus. Huic quæſtioni, quam ſumma fide, non ſtudio Partium, ſed quaſi meipſum in Conſpectu Dei ſiſtens, hunc in modum inſtitui, ne verbulum quidem reſponſi (mi *Grovi*) reponere ſuſtinuiſti, præterquam in elumbi hoc Effato, *Hæc dicere non eſt ſatis, oportebat te monſtraſſe quamobrem ſic ſenſeris, rationes tuas in medium attuliſſe.* Quaſi Non-Conformes plurimi ex poſſeſſionum ſuarum, imo ὅλῳ τῷ βίῳ direptione, Cæterique ex eorum grege doctiſſimi, in ſcriptis ſuis, ut *Didoclavius in Altari ſuo Damaſceno*, *Ameſius* in erudito ſuo Tractatu, cujus hoc Lemma eſt, *A freſh Sute againſt Ceremonies*, *Bradſhawus*, *Gilleſpius*, *Banneſius* cum plurimis aliis ad quos, necdum ulla extat reſponſio, non ſatis ſuperque evicerint, ritus Eccleſiæ *Anglicanæ*, Conſcientiæ, & Judicii dictamini Non-Conformium repugnare, quamobrem penſum hoc mihi licèt perfacile, prorſus ſupervacaneum duxi. Sed quamquam bis terque ſubmonerem, quæſtionem non inſtituendam eſſe, de obedientia noſtra in *dubiis* præſtanda, ut tamen morem adverſariis aliquantiſper gererem, Argumenta nonnulla attuli quibus probavi, *prorſus eſſe illicitum, Conſcientiâ dubitante magiſtratui Conformitatem jubenti obſequium exhibere.* Palmaria duo noſtra Argumenta quæ *Celeuſmatis* pag. 12. & 13. produxi, transilit, tranſvolatque *Grovius*. Argumentum verò, ex primo Lib. *Reg.* cap. 18. & 21. ubi teſtatur ſacra pagina populum *Iſraeliticum* peccâſſe conſcientiâ dubiâ & claudicante Regis mandato in negotio Cultus, obtemperantem, vellicat quidem, ſed minimè convellit. Etenim me *ab eo quod quæritur, digredi* aſſerit, *de dubiis* (inquit) *agebatur, tu verò de illicitis diſputas.* Sed miſerè (mi *Grovi*) hallucinaris, etenim ab eo quod quæritur haud omnino digredior. Nam quærebatur *an licitum ſit Conſcientiâ dubitante, vel in dubiis Magiſtratui*

Reſp. Gro. pag. 25.

Reſp. Gro. pag. 28.

giſtratui Conformitatem jubenti, obtemperare? Ego partem negativam defendo, fretus exemplo populi *Iſraelitici*, qui non obſtante Regis mandato, peccavit, obedientiam ſuam Conſcientiâ dubiâ præſtando. Porro in hac tua reſponſione, vel fallaciter vel imperitè, divellis tanquam ἀσυζεῦα, quæ ipſa Sacra Pagina conjungenda pronunciat, obedientiam nempe *in illicitis* ab obedientia *in dubiis*. *De dubiis*, inquis, *agebatur, tu verò de illicitis diſputas*. Equidem ego de obedientia in utriſque diſputo, atque ideo de *illicitis*, quia de *dubiis*. Nam quicquid tu in Contrarium dictitas (nihil enim probas) obedientia in dubiis, id eſt dubiâ & claudicante Conſcientia præſtita, qualis fuit obedientia populi *Iſraelitici*, eſt etiam obedientia illicita; etenim perinde illicitum eſt alicui dubia ſcilicet Conſcientiâ laboranti, præſtare id quod licitum, ac quod in ſe illicitum eſt. Quod enim præſtatur, ſi ſit præſtanti *dubium*,

1. Primò ſemper eſt illicitum quoad *præſtantis Officium*.

2. Sæpenumero eſt in *ſe* quoque illicitum. Hæc duo in *Celeuſmate* abundè probata dedi, quæ exceptionem tuam irritam & invalidam eſſe comprobant, quæque proinde in reſponſione tua, cautè & prudenter tranſilis, utpote viribus tuis imparia.

1. Quod ſpectat ad primum; in *Celeuſmate* probavi perinde illicitum eſſe, Magiſtratui obtemperare in *dubiis* ac in ipſis in ſe *illicitis*; quoniam obedientia in dubiis, ſive conſcientia dubitante præſtita æque contra Scripturam pugnat, ac obedientia in *illicitis*, videſis argumentum ex, *Rom.* 14. 5, 23. depromptum. *Unuſquiſque in animo ſuo plenè certus eſto; qui dubitat circa eſum ciborum, omnino eſt Damnationis reus, ſi comederit. Quicquid ex fi-* cel. pag. 12.

de

de non est, peccatum est. Quibus Scripturis vice responsionis, meram principii petitionem exhibes, hisce nempe verbis. *In culpa* inquis, *qui id de quo dubitat, facit nisi facere jubeat, qui jubendi potestatem habeat, i.e.* Magistratus, quo glossemate, profanam tuam, Sacras Scripturas evirandi licentiam, satis superque detegis. Proferas obsecro, expositorem vel unum, qui locum hunc *Paulinum*, in sensum tuum impium ausus est distorquere. Sed futilem hanc tuam responsionem nullius esse momenti probavi *Celeus, pag.* 12. hisce scilicet verbis. *Neque Apostolo responderi potest hac exceptione subjunctâ, nempe comedentem si dubitaverit Damnationis periculum incurrere, nisi Magistratus Comedendi mandatum dederit, nam hacce semel admissâ exceptione, facile est Precepta quæque Divina eludere, & rem quamcunque inter licitas recensere. Neque enim ulla potest reddi ratio, cur id quod uno in loco Deus prohibet, cum hac exceptione intelligi debeat, & non utique quod prohibet in alio, & cur Magistratûs jussa non perinde possint nos securos à peccato præstare, dubitante nempe Conscientiâ laborantes, etiam totum Papismi Cultum externum observantes*; Sed de hac Pericope, altum silentium in tuâ responsione, omnibus innotescit.

Gro. Resp. pag. 44.

Ctl. pag. 12.

Quod ad *Secundum spectat Celeusm.* p. 13. hoc quoque subjunxi quod exceptionem tuam prorsus refellit. *Si Magistratui in rebus dubiis licitum est obtemperare, ubi scilicet subesse potest peccatum, quodnam illud demum sit, quod obedientiam nostram æquam & justam præstet, ubi imperata cum lege Divinâ pugnant? Estne ignorantia nostra, sive dubitatio circa res mandatas ponenda inter causas cur justa sit ejusmodi obedientia? Ast ex hoc sequeretur quòd impotentia quomodocunque contracta, imo improbi hominum defectus, irritas Dei leges efficerent, iisque obligandi vim adimerent, quod si id non Blasphemum, saltem ab omni sanâ Theologia prorsus est absonum, & in legem Dei maximè contumeliosum. Estne verò Magistratûs mandatum*

datum in causâ, Cur licita sit obedientia in re dubia, forsan in se illicita, & à deo prohibita, at ne quidem dominorum superbissimos, si modo Christiani audiant, tanto intumuisse fastu, vel usque adeo ad impietatis apicem conscendisse arbitror, qui tam nefandum dogma, ausi fuerint ore Blasphemo effutire, Nempe quòd hominis cujuspiam præceptum aliquid possit reddere licitum, quod lex divina illicitum statuit. Neque enim assequi possum, si Magistratus licitum potest efficere, quod illicitum Deus voluit, quin perinde Magistratus illicitum præstare possit, quod Deus disertè præcepit. Sed totam hanc Pericopen (mi *Grovi*,) præteris.

SECT. VII.

SEd hanc de obedientia in *dubiis* Controversiam utpote ad Non Conformes nullatenus spectantem, haud ulterius prosequar; Ad graviora accedo. *In Celeus.* hæc habentur verba, *sensa sunt nonnullorum quòd qui tam acriter nobis imminent ut Dominis nostris auscultemus in dubiis, id etiam velint ut illis obedientiâ absolutâ nomine solo eorum authoritatis, suppresso conscientiæ dictamine, obtemperemus*: Ut verò hanc accusationem probatam darem, nonnulla è *Parkero*, & *Hickringlio*, *Longo*, & *Thorndiko* quoque (*in parallelis*) retuli, quæ doctrinam hanc olere fœtidam, meritò judicamus. *Parkerus* suos sic alloquitur Lectores, *Magistratus est eâ potestate indutus quæ regat subditorum conscientias in Religionis negotio; homines privatæ sortis non sunt sui juris, nec actionum suarum domini, nec duci debent à proprio judicio, sed ab imperatis* publicæ conscientiæ; *nam si quid peccati, superiorum mandatis inest, qui imponit deo debet* Pag. 16. Et. Pol. p. 10. Pag. 308.

bet respondere, non qui obsequitur, cui hoc solum officii incumbit, nempe, obedire: nisi Principes eâ sint potestate vestiti, obligandi Subditos ad obsequium illius Religionis quam ipsi judicant ad pacem publicam & tranquillitatem conferre, non
Gr. Pat. *alia eorum habenda est æstimatio, quàm statuarum & imaginum.* Hickringlus hæc putidissima haud sobrius evomuit, *obedientia quam populus præstat dominis suis supremis, benedictionem habet comitem, vel cùm jubent circa circumstantias Religionis* (Ceremonias scilicet) *quæ planè & è diametro pugnant cum lege Dei.* Longus *sic* loquitur, *tutius*
Contra Hales. Thornd. pond. & mens. p. 130 *est errare*, i. e. peccare *cum dominis, quàm recta Sectari contra eos:* Accedat denique *Thorndikus: Qui summis*, inquit, *potestatibus subsunt, se debent Superiorum Judicio submittere, licèt Conscientia dubia contrarium dictitat.* Quatuor hosce Novatores incusatos dedi. Sed (boni viri) metum deponite. Miseris suis Symmistis præstò est *Grovius*, & periclitantibus fert suppetias; hosce verò *Æ-*
Resp. Gro. p. 31. *thiopes* quo labore, quove lixivio, mi *Grovi*, lavare satagis? Primo inquis *de his post videbimus*: Sed hoc tuum (*post videbimus*) planè convenit cum promisso quo Lectores tuos tam liberaliter in eâdem pagina onerasti, de Responsione scilicet quam nobis pollicitus es afferre verbis Apostoli ad *Rom.* 14. 23. *Qui dubitat, si ederit condemnatus est, &c. Huic loco tritissimo*, inquis, (*ubi commodum fuerit*) *respondebimus:* hoc est, quia nunquàm tibi commodum visum fuerit, nunquam respondebis. Sed non inficior, post paginas quinquaginta sex evolutas te aliquid, (licet hoc aliquid nihil est) attulisse quod te promissi tui haud prorsus fuisse immemorem exhibet, de hisce scilicet videndi quæ ad *Parkeri, Hickringli & Longi* defensionem spectant, nam *Thorndicum* defendere non tibi commodum visum fuit. Primo, negas hæc verba, scilicet *Magistratus est eâ potestate indutus, quæ regat subditorum consscientias in Negotio Religionis, à Parkero* fuisse edita:

Hæc

Hæc inquis *in eo quem designas loco, non invenio; tu igitur, ut puto, confinxeras.* Sed ego puto te hanc Calumniam, etsi non invitâ Minerva, invitâ tamen conscientiâ confinxisse. Indue iterum, mi *Grovi*, conspicilla tua, ut magis clarescat pagina *Parkeri* tui decima, utque perspicacior sis ad illam legendam; nam *Parkerum* tuum tanto amore prosequeris, ut in erroribus ejus legendis, mirum ni sæpenumero cæcutias. Sed dexterâ quam imbelli *Parkerum* tuum Defendis! Etenim nihil præterea in subsidium *Parkeri* profers, quam quæ sequuntur ineptissima. Nempe cum *Parkerus* asserit *Magistratum esse potestate indutum regendi subditorum Conscientias in negotio* Religionis, *& eos obligandi ad illam* Religionem *quam judicat ad pacem publicam & tranquillitatem conferre, &c. Parkerum ubique egisse de rebus indifferentibus* (scilicet Ceremoniis:) Quæ verba à te prolata in gratiam unius *Parkeri*, omnium Conformistarum causæ vulnus infligunt insanabile, & aperte proinde indicant crassissimam tuam inscitiam in Controversia de Ceremoniis inter Conformes & Non-Conformes, toties ventilata. Nam Argumentum palmarium quo causam suam Non-Conformes stabilire, vestramque diruere solent, tu nobis abunde hâc tuâ assertione dedisti stabilitum, concedendo scilicet, Ceremonias vestras *Religiosas* esse, & *Cultûs* sive *Religionis* partes. Quam sententiam omnes Conformistæ eruditi olim oppugnarunt, utpote Conformitatis causæ prorsus exitialem. Profecto (mi *Grovi*) si ex tuâ ad partes nostras accessione, aliquid nobis vel gloriæ vel subsidii accresceret, gratias tibi haberem ingentes, qui jam in castris Non-Conformium versari non erubescis, dum *Religionem*, te & *Parkero* Interpretibus, de Ceremoniis debere intelligi non modo conceditis sed & contenditis. Et ingenuè fateor me hoc Argumento potissimùm fuisse inductum, ut ad Non-Confor-

Resp. Gro. p. 89.

mes me aggregarem, quia ſcilicet Ceremonias veſtras *religionis* eſſe partes ab hominibus fabricatas, mecum ſtatuebam, quas à ſolo Deo inſtituendas eſſe obſirmatè credunt omnes Proteſtantes eruditi. Etenim quis *Religionem* ejuſdemque partes ſingulas in Scripturis *fundari*, & ab eis *præcipi* debere dubitat? Nec enim ritus veſtros tegmine hoc tenui & ſiculneo ſervare poteris incolumes, (quod tamen quinquies, mi *Grovi*, per ſummam inſcitiam, illis à te obductum fuiſſe, video) *hanc* ſcilicet *ob cauſam ritus veſtros pro licitis eſſe habendos, quia nuſpiam illos in Scripturis prohibiri legimus*; Etenim ſi ritus ejuſmodi (ut aſſeris) *Religionis* partes evadunt, illos oportet non ſolum in Scripturis *non prohiberi*, ſed *aliquo* Scripturæ præcepto niti & ſtabiliri; nam ſi adverſus *Pontificios* perfectionem Scripturarum agnoſcimus, omnes profectò veræ Religionis partes in illis Contineri, non eſt quòd dubitemus aſſerere. Et proinde, Cultûs ſeu Religionis partem ullam haud in Scripturis mandatam, uti falſam merito rejicimus, illamque Scripturæ mandatis adjicere, nefas eſſe ſtatuimus, freti ſcilicet Præcepto illo generali & negativo toties à Scripturis comprobato, *Deut.* 4. 2. & 12. *ult. Attendite ad ſtatuta, &c. ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut ſervetis præcepta Jehovæ Dei veſtri; unamquamque rem quam ego præcipio vobis, eam obſervantes facite, ne addito ei, neque detrahito ex ea.* Per hanc denique rationem qua ritibus veſtris obtruditis, eos nempe eſſe licitos, quia diſertè in Scripturis nuſpiam prohibentur, introducitur tanquam per oſtium apertiſſimum totus ferè in *Papiſmo* cultus externus, quem ex multis obſervantiis ineptiſſimis, nec tamen diſertè in Scripturâ prohibitis, conſtare & conflari novimus, *peregrinationibus* ſcilicet, *aquâ benedictâ, cereis, crucis ſignaculi munitione, Chriſmate, abſtinentia à cibis, cinerum aſperſione*

Gro. Reſp. p. 32. p. 43 44. p. 60. 63.

Iſa. 8. 20. Jer. 7. 31. Deut. 12. 8. 1 King. 12. 33. Hoſ. 13. 2. Mat. 15. 9. Mat 28. 20 1 Cor. 11. 23. Jer. 19. 5.

aſperſione, unctionibus et mille hujuſmodi futilitatibus Religioſis. Hanc tuam ſententiam de Ceremoniarum *Religione* avidè amplectitur *Hickringlius* veſter, qui in ſuo *Greg. Pat.* pag. 180. apertè profitetur, *Ceremonias Anglicanas partes eſſe cultûs Divini neceſſarias*; p. 297. eandem cantilenam occinit, dum aſſerit, *Ceremonias eſſe partes longè neceſſarias Religionis Chriſtianæ, Conciones verò non eſſe pro cultu Divino habendas quantumcunque bonæ fuerint.* Conſilium mihi largiris, ut conſulam clariſſimi *Davenantii* determinationem vigeſimam, ut quid mihi quod ſpectat ad confirmitatem, faciendum ſit videam; *Davenantii* determinationes inſpexiſſe me arbitror antequam tu uſurâ lucis fruereris. Sed in illo *Davenantii* loco nihil occurrit Non-Conformium ſententiæ contrarium. Ille etenim hanc ſolam poteſtatem Eccleſiæ concedit, *providendi* ſcilicet *ut omnia in ſacris cœtibus decenter & ſecundum ordinem fiant:* quiſnam verò Non-Conformium hanc poteſtatem Eccleſiæ denegabit? Ut verò par pari referam, te quoque (mi *Grovi,*) monitum velim, ut conſulas *Davenantii* expoſitionem Epiſtolæ ad *Coloſſenſes*, ubi hæc habentur verba in verſ. 20. cap. 2. Quid ritibus oneramini, *nullis ritibus qui conſiſtunt in rerum externarum obſervationibus quaſi cultus, aut Religionis partes eſſent, onerandæ ſunt Chriſtianorum Conſcientiæ.* Tu quoque, *Grovi,* inſpice determinationem ipſiſſimam illam vigeſimam quam mihi commendas, ubi te, tuoſque, *Parkerum* nempe & *Hickringlum* hiſce verbis ſeu virgis caſtigatos ſentias. *Quid eſt*, inquit, *quod Ceremonias impias & illicitas eſſe coarguit?* Reſp. *ſi oſtendatur illas eſſe inſtitutas in cultum Divinum.* Et in Expoſ. *ver.* 20. *cap.* 2. ad *Coloſ. Si hominibus*, inquit, *permiſeris hanc poteſtatem ut liceat ſuas traditiones præſcribere ſub opinione cultûs, indies plura & graviora accumulabunt, neque ullus onerum finis erit. Doctores iſtos inſenſatos eſſe aſſe-*

Gro. Reſp. 33.

Resp. p 30. *risqui hæc de nobis dixerint, nos nempe velle ut Dominis noſtris abſolutâ obedientiâ obtemperemus.* Excuſatiùs verò *Grovi*, hæc dixiſſes, ſi vel unum attuliſſes verbulum quo vos ab hac imputatione liberares.

Te pro *Parkero* tuo diſputantem audivimus. Quod ſpectat vero ad *Hickringlum*, hæc ille putidiſſima (uti dixi) evomuit; *Obedientia quam populus præſtat Dominis ſuis Supremis benedictionem habet comitem, vel cum jubent quæ planè & è diametro pugnant cum lege Dei.* Hanc etiam Blaſphemiam excuſatam habes, & defendere ſatagis, exemplo ſcilicet *populi Iſraelitici, cujus obe-*
Resp. p. 89. *dientia*, inquis, *Deo placuit, ubi Princeps quiddam quoad circumſtantias, Divinis* legibus oppoſitum præceperit; *ut, cum juſſu Regio paſchale feſtum ſecundo menſe celebrarent, quod ex ipſius Domini mandato primo menſe celebrandum fuerat.* Sed dum *Hickringlum* tuum excuſare illumque à Blaſphemiâ immunem præſtare ſtudes, inſignem tuam in legendis Scripturis, inſcitiam vel oſcitantiam detegere non vereris. Iſte enim princeps nihil præcepit (uti tu indoctè aſſeris) legibus divinis oppoſitum, ubi *feſtum paſchale* ſecundo menſe jubebat celebrari. Nam Deus ipſe mandaverat ob *immunditiem*, impedimentum illud *juſtum* quo tum temporis laboravit populus, feſtum paſchale *ſecundo* menſe celebrari, ut diſertè probatur ex Num. 9. v. 11. Si conſulis, mi *Grovi*, doctos interpretes, illos omnes, videbis mecum συμφώνως in hujus loci expoſitione; videſis *Piſcatorem*, *Vatablum*, *Ainſworthum*, *Funium*, *Marianam*, *de Lyra*, *Menochium*, Annotationes *Anglicanas* ſed præcipuè *Belgicas*, quas hîc Latinè reddere non gravabor. *Quando*, inquiunt, *juſtum impedimentum populo eveniret, quo feſtum paſchale haud die decimo quarto menſis primi celebrari potuit, tum feſtum illud celebrari debuit die decimo quarto menſis ſecundi: quoniam vexo Sacerdotes & Levitæ menſe primo in templo mundando occu-*

pati

pati fuerant, quo negotio implicati erant usque ad diem decimum sextum ejusdem mensis, 2 Chron. 29. 17. *ideo tempus ordinarium non potuerunt observare, sed tempus illud extraordinarium ad festum celebrandum deligebant.*

Ad *Longum* tandem devenio, qui impiè ita effatur; *Tutius est errare (hoc est peccare) cum dominis quam recta Sectari contra eos.* Huic quoque errori excusationis velum obtendis, nam *Longus* (inquis) de *rebus indifferentibus, Ceremoniis* scilicet, disseruerat. Sed nonne Ceremonias vestras *Religiosas* esse, imo ipsam *Religionem* constituere disertè asseruistis? ex vestrâ itaque sententia necesse est ut concedatis in ipsa Religione, *tutius esse errare cum dominis quàm rectam Religionem amplecti contra eos.* Hanc sententiam execrandam, de obedientia absoluta dominis præstanda, suppresso privatæ Conscientiæ examine, ut ejus vice *publicam Parkeri conscientiam* admittamus, argumentis plurimis è Scriptura & Ratione depromptis improbatam dedit *Celeusma* meum, quæ omnia more *Groviano* prorsus præteris & omittis. Tandem verò ad *Davenantii* Doctissimi Authoritatem confugio; hic vero hæc habet verba; *Stultum est cum habemus Scripturas quæ fallere non possunt, iisdem neglectis fidem astringere solis hominibus qui & possunt decipi, & solunt decipere. Certissimum est, intellectum cujuslibet hominis Deo debere hanc suam operationem, indagandi & inquirendi veritatem. Credere promiscuè quicquid affirmatur aut decernitur à Prælatis non opus est virilis intelligentiæ, sed puerilis insciticæ.* Quibus tu ineptissimè sic respondes. *Davenantius*, inquis, *in isto loco contra Pontificios, de rebus fidei, disserebat: neque posse quenquam novos articulos suâ authoritate credendos obtrudere* (Mitto latinitatem tuam quâ palmam elegantiæ *Ciceroni* te prorsus præripuisse nonnullis haud videris) Hæc tibi concedo: Sed responsio tua Argumenti mei aciem non omnino retundit. Etenim dic. sodes,

Resp. Gro. p. 89.

de Jud. & nor. fid. p. 166, 164.

Resp. Gro. p. 33.

ſodes; Annon *Davenantii* verba perinde pugnant adverſus obedientiam abſolutam abſque prævio judicii examine in negotio *cultûs* Divini, ac in *rebus fidei Chriſtianæ*? hoc ſi negare non audes, optimâ profectò ratione ego me *Davenantii* Authoritate munitum exiſtimo. *Davenantio* noſtro placuit *Auguſtini* & *Prudentii* authoritatem adjicere ad evertendam hanc veſtrorum ſententiam impiam, de obedientia abſoluta abſque judicii examine. *Si poteſtas illud jubeat*, inquit *Auguſtinus*, quod non debes facere, hîc *ſanè contemne poteſtatem timendo poteſtatem,&c.* *Prudentius* ſic quoque canebat,

Fuſſum eſt principis ore Galieni
Quod colit princeps ut colamus omnes;
Æternum colo principem dierum
Factorem Dominumque Galieni.

Quid verò hiſce *piis veteribus* hîc tu reſpondes? ne verbulum profecto profers quod ſpectat ad quæſtionem. *Auguſtinum & Prudentium hæc omnia contra Idololatriam, contra Chriſtianorum diſcubitum in Idoliis cum Paganis, contra Dæmoniorum cultum, dixiſſe*, aſſeris. *Nihil eſt hîc*, inquis, *cujus tu nos inſimulare potes; nos non docemus debere homines Paganorum Deos adorare.* Concedo. Ego vos Idololatriæ Paganorum non arguo, ſed è piis iſtis veteribus hæc effata adduxi, non ut vos Idololatriæ Paganicæ inſimulare videar, ſed ut probarem, nos debere dominorum mandata, judicii examini ſubjicere, illiſque obedientiam abſolutam denegare: quod quidem luculentiſſime probatur hiſce veterum teſtimoniis, qui non permittebant Chriſtianis obedientiam iſtam abſolutam, ſed jubebant ut illi dominorum mandata examinarent, & exinde ut ab obedientia præſtanda mandatis dominorum illicitis abſtinerent.

SECT. VIII.

SECT. VIII.

POstquam hæc absolveram, rationem veram rectamque exposui, per quam, pacem solidam sanctamque inter fratres à se invicem in ritibus dissentientes, comparari posse existimavi. *Fenchinus* (uti dixi) *obfirmato animo credit, non consensum in Ceremoniis, sed harmoniam in fide Christi, esse verum, firmum & stabile pacis perennis fundamentum, nec Unitatem Ecclesiæ per idem vinculum disciplinæ, sed per consensum in doctrina Christiana obtineri.* Quibus respondes, licèt falsissimè, *me fidem & Disciplinam temerario ausu divellere.* Attamen scias obsecro, me rationem istam exposuisse Pacis inter fratres obtinendæ, quam à Scriptura sacra accepi, nempe harmoniam in fide, & consensum in doctrinâ Christianâ esse verum pacis fundamentum. Nam Scriptura nihil de consensu in Ceremoniis ab hominibus excogitatis, nobis tradidit, ad Christianorum animos charitatis nexu devinciendos. Ideoque in hoc negotio, fidem & disciplinam *ego* non divello, sed divellit ipsa sacra Scriptura. Hanc itaque culpam *Celeusmatis* Authori ne impingas, obsecro. Ubinam quæso testatur Sacra Pagina, consensum in ritibus ab hominibus excogitatis, viam esse ad pacem à Deo approbatam? *Prima* ratio qua probavi consensum in ritibus ejusmodi non esse stabile unitatis fundamentum, hæc fuit. *Certum est apud Christianos fuisse & fore judicia varia circa observantias illas externas, quæ authoritate Sacræ Scripturæ destituuntur: Unde inter fratres ob sententiarum hæc divortia, ortæ sunt lites & contentiones*

Celeus. p. 36

Resp. Gron. p. 58.

Cel. p. 37.

tentiones acerbissimæ. Ego è Sacra Scriptura exempla nonnulla quæ tu transvolas, ad hoc probandum adduxi.

Resp. Gro. 60 Hoc tantum reponis, *me lapsum esse, dum mihi videtur varia fuisse judicia circa observantias externas, & plurimas in Ecclesia de Ceremoniis Controversias.* Quæ verba te in Ecclesiastica historia planè hospitem esse & peregrinum ostendunt. Consulas, si placet, *Socratis* librum quintum cap. 21. & *Sozom.* l. 7. c. 19. ubi Christianorum judicia varia occurrunt de *tempore paschatis celebrandi, jejuniis, nuptiis, Ecclesiis convocandis, cantibus, lectionibus, abstinentia à cibis, de situ altarium, precandi more: in quo* (inquit *Socrates*) *apud omnes Religionum formas nusquam reperire poteris duas quæ in precandi more inter se consentiant.* οὐκ ἔστιν εὑρεῖν συμφώνους δύο ἐπὶ τὸ αὐτὸ. imo plurimas reperias inter Christianos, de variis istis judiciis subortas contentiones acerbissimas. Quid aliud sonant *Socratis* verba, οἱ τῆς αὐτῆς πίστεως ὄντες, διαφωνοῦσι, περὶ τὰ ἔθη. πολλαὶ διαφωνίαι διὰ τὰ τοιαῦτα γίνονται. περὶ δὲ ἡμέρων ἑορτῆς ὡς περὶ ψυχῆς ἀγωνίζονται *tanquam de vita decertant.* περὶ δὲ ἡμέρων ἄσπονδον πόλεμον αἴρουσι, *bellum excitant gravissimum.*

Cit. pag. 39. *Secundo* probo consensum in externis observantiis non posse esse vinculum unionis, *quia istiusmodi consensus circa ritus non potest esse regula & conditio communionis Ecclesiasticæ in cultu divino, quæ communio medium est præcipuum ad Christianorum animos connectendos. Sed hæc communio non suppeditatur per consensum in ritibus, quia finis & benedictio quæ accrescunt ex communione Ecclesiasticâ, Christi scilicet præsentia usque ad finem mundi, obtinent absque obedientia præstanda constitutionibus humanis. Etenim id solum requiritur ut conditio per quam compotes fiamus Christi præsentiæ in Ecclesia, nimirum sacro*

Matt. 28. *Baptismo tingi, & fidem adhibere doctrinæ Christi, & obtemperare ipsius præceptis.* Pudet me, profectò, tibi licèt Adversarium, responsionis quam huic argumento at-

attulisti

attuliſti. *Hoc quidem* (inquis) *à te veriſſime dictum eſt; ſed illud noſtrorum cauſam non evertit, cum Chriſtus nobis hoc ipſum de obedientia præceptum inculcaverit.* Hæc re- *Reſp. Gro.* ſponſio Argumenti non attingit ſenſum, nedum retundit *pag. 61.* aciem. Quid enim *Chriſti* præceptum, de obedientia Magiſtratui exhibenda, ad conditiones illas per quas compotes fiamus præſentiæ Chriſti? Si quis eſt reſponſionis tuæ ſenſus, huc ſolummodo redit; *Sacro Baptiſmo tingi, fidem adhibere Doctrinæ Chriſti, & obtemperare ipſius præceptis, ſunt conditiones per quas compotes fiamus Chriſti præſentiæ in Eccleſia, niſi Magiſtratui viſum fuerit jubere ut alias Conditiones a ſe confictas admittamus.* *Ctl. p. 40.*

Tertiò, exinde probavi conſenſum in ritibus non eſſe vinculum unionis, quoniam ſcilicet cum *Chriſtiani contrariis ſententiis laborarunt circa rituum obſervantiam, inter pugnantes opiniones via reconciliationis quam Apoſtolus monſtrat, haud fuit, ut altera pars ritus obtrudat & imponat parti alteri quæ nefas putat illis uti; ſed ut altera alteram cum æquanimitate ferat, & toleret.* Cui argumento, more tuo inepto reſpondes. *Apoſtolum ſcilicet monere ut caveant firmiores ne libertatem ſuam venditantes, infirmiores ad idem cum ipſis faciendum accenderent, atque hi ad peccandum inducerentur, cum illud, illorum exemplo animati, facere auderent quod an rectum fuerit necne, adhuc dubitant. At non eſt*, inquis, *metuendum ne veſtri noſtrorum exemplis inflectantur.* Verbis hujus reſponſionis tuæ poſtremis planè aſſentior, ſcilicet [*non eſt metuendum ne veſtri noſtrorum exemplis inflectantur.*] Etenim facile concedo non eſſe quod valde metuamus ne veſtrorum exemplis alliciantur noſtri ad conformitatem in ritibus, donec plures è veſtris conſpiciamus puriores in moribus: deinde, haud fortè metuendum eſt ne veſtris *inflectamur exemplis*; ſed valde, mi *Grovi*, metuendum eſt ne *veſtris frangamur equuleis*, mulctis nempe

Gro. Reſp. pag. 62.

& carceribus; fortissimis nempe istis vestrorum argumentis quibus conformitatem in ritibus, probatis esse licitam. Effare vero, *Grovi*, si Apostolus prohibet, aliquem *exemplis* ad dubias observantias inducere, annon multo magis vetat, aliquem *suppliciis* ad illas impellere?

Cil. p. 41. *Denique* hanc meam assertionem per *Praxin Apostolicam* stabilivi: Nam licet conabantur *Judæi*, observationem rituum qui à *Mose* fuerunt instituti, *Gentibus* imponere, tanquam Communionis Ecclesiasticæ *conditionem*, *Apostolus* tamen adversus istam impositionem disertè pronuntiat, *Christianos nullis astringi debere, præterquam quibusdam pro tempore necessariis.*

Resp. Gro. 63. Quid ad hæc responsor noster egregius? *Non id agunt nostri* (inquit) *ut ritus Judaicos denuo reducant, ideoque quæ adscribis de observatione eorum quæ à Mose fuerant instituta, nihil ad Controversiam pertinent.* Sed quid, *Grovi*, si hoc tibi concederem, scilicet non id agere vestros ut ritus *Judaicas denuo reducant* (quod tamen de singulis vestris observantiis haud ausim asserere quas *Judaismum* olere nonnulli judicant) hunc tuum tamen inanem verborum tinnitum abunde refutavit *Davenantius* in expositione Epistolæ ad Colossenses, c. 2. v. 20. [*Quid ritibus oneramini*] Est itaque argumentum (*inquit Davenantius*) *ductum à minore ad majus. Liberi estis ab illis ritibus quos ipse Deus præscripsit; ergo liberandi estis ab onere traditionum ab hominibus inventarum. Deus non cultum Cæremonialem à seipso institutum abrogare voluit, ut cultus novus ab hominibus excogitaretur*, qualem in vestris ritibus contineri, agnoscitis.

SECT. IX.

SECT. IX.

Parallela noſtra quæ maximam *Celeuſmatis* partem conſtituunt, & quorum editio me præcipuè ad *Celeuſma* ſcribendum inſtigavit, leviter & oſcitanter *Grovius* pertranſit. Nam Septuaginta paginas ad quem numerum aſſurgunt *parallela*, uno fere ſaltu tranſilit. Sed quanto magis *Parallelorum* refutationi vires ſuas perſentiſcit impares, tanto acrius irarum ſtimulis incitatur; quantoque minus argumentis refellere, tanto magis probris proſcindere *parallela* noſtra ſatagit. Parallela ſcriptis ſuis *Grovius* nec penitus excludere, neque ullis argumentis potuit illa evertere; haud *aſino* prorſus abſimilis, qui carduum ori ſuo nec potuit ob aſperitatem excutere, nec tamen illum auſus eſt deglutire. Ne *unum* profectò è ducentis Novatorum erroribus, Eccleſiæ Anglicanæ fidei conſentire, *Grovius* noſter probare conatur. Nam in *Parallelis* oppugnandis, nihil molitur niſi ut Authorem inquiſſimis ſuis calumniis in gratiam Novatorum, impetat. Illum nempe hunc in modum adoritur. *Gro. Reſp. Tantum ſententiolas à totius orationis corpore avulſas Lectori tuo oſtendis. Quem ſibi author ſcopum propoſuerit, parum curas. Novatorum libros evolvi, contuli cum tuis, neque in unum locum incidi, quem tu non manifeſtè corruperis. Novatorum verba* à me *detruncari & lacerari conqueritur, &c.* pag. 81. Reſp. p. 91

Quis niſi ſcurra dicaciſſimus falſiſſimis hiſce convitiis virum innocentem auſus eſſet onerare. Haſce calumnias *Reſponſionis* ſupplere vices, ſperat, exoptat. Quibus tamen reſpondeo, me à culpis illis quas impudentiſſime mi-

hi impingit, plane esse immunem; & conscientiam meam probitatis meæ in verbis Novatorum recitandis, testimonium perhibere luculentum, meque in parallelis meis, Novatorum scopum attendisse, & æqua judicii lance pensitasse, atque ita eorum verba allegasse ut illos mea recitare ex animo expeterem, nullam denique me præbuisse ansam, ob quam mihi detruncandi & lacerandi Novatorum verba, crimen objiceret; nisi partium esset nostrarum in singulis illorum erroribus allegandis, totas paginas imo totos fere libros eorum transcripsisse; cum tantummodo errorum apices Lectori inspiciendos, mecum statuerem obtulisse. Vitio mihi vertit, quòd *Bramhalli* verba falsò & ementitè recitaverim. *Celeusma* inter Novatorum errores hunc merito perstrinxit. *Promiscua licentia omnibus indulta legendi Scripturas, gravius est & perniciosius crimen quam illud Romanensium, quo lectionem*
Cel. p. 49. *Scripturarum rigide nobis interdicunt. Hæc verba* (prout gravissime monet) *longe ab illis discrepant quæ habentur*
Resp. p. 82. *in Bramhalli libro.* Hic itaque tragicè declamitat *Grovius. Constat*, inquit, *qua tu fide aliorum Scripta allegare soleas: hoc exemplum plurimorum instar, esse poterit, &c.* Sed *ne sævi magne sacerdos*; furores tuos compescas obsecro. Cultellum tuum ne arripias, siquidem in Schola *Wintoniensi*, jam non versaris; itaque iracundiam tuam paulisper comprime. Hæc etenim accusatio de *Bramhalli* verbis falsò recitatis, non omnino ad parallelorum authorem spectat. Equidem hunc errorem qui tollit licentiam promiscuam plebi indultam, legendi Scripturas, sive de arcendo populum Scripturis legendis, ex *Bramhallo tuo* haud deprompsi: neque ego *Bramhalli* tractatum ubi hicce fortassis latet error, vel usquam vidi, vel an visurus sum haud multum curo: sed hæc verba quæ tu temere asseris me fallaciter & mala fide ex *Bram-*
Resp. Gro. 83. *hallo* desumpsisse, ex *Hickringlio* tuo suavissimo excerpsi.

Hunc

Hunc ego errorem recitavi, prout ab *Hickringlio* approbatur, &, uti asserit *Hickringlius*, à *Bramhallo* evulgatus fuit. Consule si placet *Hickringlii* librum qui inscribitur *Gregorius Pater*, quique publico (tuo forsan) privilegio munitus est, dum tu (saltem si bene memini) librorum Censor venerabilis inclaruisti. *Tailerum* & *Thorndikum* egregios istos Novatores, tu ipse Pelagianismi & Papismi arguendos esse concedis: In quorum defensione nihil occurrit responsione dignum. *Tayleri* dogma Heterodoxum sic se habet; *Mysterium Trinitatis cum minutiis explicationum quæ hodie habentur pro doctrina Ecclesiæ, non minus violenter pugnant cum Principiis naturalis & supernaturalis Philosophiæ, quam quicquid animus sibi figurare potest in dogmate Transubstantiationis.* Quem turpissimum Errorem, authoritate *Ecclesiæ Anglicanæ* munitus, sic refutavi. *Omnes illæ circa Trinitatem explicationum minutiæ, quæ habentur pro Ecclesiæ Doctrina, in duobus Symbolis altero Niceno, altero* Athanasii *continentur, & Ecclesiæ Anglicanæ Calculo maxime probantur*, Art. 8. Cui assertioni respondes, *Taylerus* (inquis) *fortassis minutias aliquas reperire poterat, quas tu in duobus Symbolis nequicquam quæsiveris.* Sed regero, imbellis hæc responsio, *Tayleri* tui causam nequicquam adjuvat. Etenim hæc *dixisse*, nobis non sufficit, nam te oportebat indicasse minutias istas explicationum Mysterii Trinitatis, pro doctrina Ecclesiæ habitas, quas in duobus istis Symbolis, nequicquam quæsiverim, sed de his in responsione tua nihil occurrit.

Resp. p. 80

Cel. p. 53

Gro. Resp. p. 87.

Thorndikus vero dogma hoc detestandum effutivit, *obtentus perspicuitatis scripturæ æque laborat falsitate, ac infallibilitas Ecclesiæ Romanæ.*

Tu post nonnulla ad rem de qua disceptatur, nullatenus spectantia, hujus erroris patrocinium, sic concludis. *Si quid* inquis, *humanum* Thorndiko *acciderit, ferendum erat*

Cel. 50.

tibi,

tibi qui multò gravius es lapsus. O Novatores felicissimos, quibus præsto est hyperaspistes, qui strenuitate suâ ὀρθοδοξίαν vestram penitus exæquat. Ex dictis abunde constare potest, quod tres hosce tuos symmistas (ut omittam Viginti Novatores musteos, quos ne vel unicâ excusatione ausus es defendere) *Celeusma* nostrum pro meritis castigaverit. Et nullus profecto dubito, quin lectores æqui, te non modo sodales hosce tuos deseruisse; sed & Causam tuam, hâc tuâ responsione, prodidisse judicent. Te denique cum utili hac monitione tandem dimitto. *Scripta tua in posterum ne pergas exarare, per Calamum hunc obtusum, quando tibi adesse in propinquo novimus, scalpellum peracutum.*

FINIS.

Ad GROVIUM

Errores veſtros, Erratáque Corrige noſtra.

PAg. 10. l. 29 *lege* e Com. p. 11. l. 21. l. aberrationem. p. 14. l. 3. l. inquis, eſt. p. 18. l. 27. l. quam obtenditis. p. 21. l. 19. dele verò. l. 31. l. qua.